Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 1mum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

Cuius etiam definitio desumitur, quia proponit partes formaliter distinctas, v.g.: animal rationale; divisio ita tamen, quia proponit per modum unius totius, illa per modum partium et seorsim v.g.: hoc de prima mentis operatione.

Disputatio 2da
de 2da mentis operatione
Caput unum

Quid sit nomen, verbum et oratio.

Nomen iuxta Aristotelem est vox significativa ex instituto sine tempore finita et recta, cuius nulla pars significat separata. Vox significativa est genus; ex instituto, differentia; a verbis differt per vocem sine tempore; per illud finita a terminis infinitis; per recta ab obliquis; per ultima vero a terminis complexis et totis orationibus.

Notabis ex his, quod etiam nomen non tale hic definiri, quia vox aequivoca [illegible] vero nomina composita, pronomen et similia ac terminos infinitantes excludi, quia Aristoteles tantum voluit definire nomina simplicia et proprie significantia aliquid significandum: termini autem infinitantes, ut ait Sanctus Thomas, tantum dicunt quid non sit, non vero quid sit, neque sunt in usu in aliis scientiis sicut sunt negativi. Ex hoc notabis aliud esse significare tempus, aliud connotare tempus, aliud significare cum tempore: nomina tamen sicut mensis, hora etc. significant quidem tempus, sed abstrahendo quandoque [illegible]; participium vero connotant tempus, quia significant aliquid fieri certo tempore, abstrahendo tamen a certa temporis differentia: sola autem verba significant cum tempore determinato absoluto vel conditionale, et simul significant certam actionem: unde voces praeteritum, hodiernus etc.: licet significent certam temporis differentiam, quia tamen non significant aliquam actionem, non dicuntur significare cum tempore.

Verbum iuxta Philosophum est vox significativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, et est semper eorum quae de altero dicuntur nota. Hoc est per verbum significatur [illegible] pro certa temporis differentia in esse vel non in esse [illegible], cetera habet cum nomine communia.

Oratio (perfecta scilicet) definitur ab Aristotele quod sit vox significativa cujus partium aliqua est significativa separata ut dictio, non ut affirmatio vel negatio, id est quod sit composita ex nomine et verbo vel pluribus aliquo modo inter se grammaticaliter connexis, quia voces separatae non sunt oratio. partes separatae debent saltem aliquid significare, non tamen necessario debent esse affirmatio vel negatio. Dico aliqua distinguitur orationem a verbo et nomine, quorum partes seorsim non significant. oratio perfecta cum sensu absoluto facit sensum perfectum, imperfecta imperfectum v. g. si orem ubi nil affirmatur vel negatur.

Caput 2dum

De enunciatione ejusque divisione.

Enunciatio definitur ab Aristotele quod sit oratio vera vel falsa. item quod sit oratio affirmativa vel negativa unius de aliquo. utraque definitio prudenter explicat proprietatem ejus, quia veritas et falsitas sunt tantum proprietates consequentes ad affirmationem vel negationem. 2da est dispensativa et convenit etiam 2dae mentis operationi, et proprie tantum propositioni vocali. si illas vis defendere, concede quod non sint ex parte exacte, si aliter vis loqui, sic cum communi recentiorum, quod propositio mentalis sit indicium intentionale unius de alio. 2do quod propositio vocalis sit oratio significans indicium mediatum. 3tio quod scripta sit scriptura significans vocis indicium mediatum significantis. 4tuor considerantur in propositione: materia forma quantitas et qualitas. materia ex qua sunt termini formales materia circa quam sunt termini obiectivi, si praedicatum et subjectum necessario sunt connexa, dicitur esse materia vel propositio necessaria, si contingenter tunc est contingens.

Ex his propositionibus affirmativa necessaria semper est vera negativa semper falsa. utraque absolute nec affirmat nec negat existentiam subjecti, sed tantum conditionate, semper enim est si dico v. g. homo est animal rationale. quandocunque existit homo est animal rationale. In materia vero impossibili propositio affirmativa v. g. homo est lapis semper est falsa, et negativa semper vera. in contingentibus aliqua sunt vera aliqua falsa. propositio affirmativa contingens semper exigit existentiam subjecti et convenientiam ejus cum praedicato, subjecto existenti compatibile v. g. si dico: aliquis equus currit, semper existit aliquis equus et convenit ibi praedicatum currens, si vero praedicatum etiam compatibil